



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-|| Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-|| libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

§. 1. Species & actus Prudentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39637

Prudentia
duplex.

ita etiam est duplex Prudentia, & altera alteram inuicem iuuat, vt vtraque ea ratione sit perfecta, quæ iam explicabitur.

§. 1. Species & actus Prudentiæ.

PRUDENTIA, vt ait Angelicus Doctor, in quinque partes siue species diuiditur quæ sunt instar quinque sensuum spiritualium: qui residere debent in supremis Christianæ Reip. capitibus, vt sint in omnibus perfecta.

2. 2. q. 47. a.
11. q. 48.

Prudentia
5 species.

1.
Monastica.
S. Thom. a.
11. q. sup.

2.
Oeconomica

3.
Politica.

4.
Regnatiua.

5.
Militaris.

PRIMA prudentia est cuiusque propria, ad seipsum scilicet in omnibus suis cogitationibus, verbis & operibus, quatenus persona particularis est, gubernandum: & propterea appellatur *Monastica*, siue singularis. Cui simul tanquam consortæ adherent Iustitia, fortitudo, temperantia, & reliquæ virtutes morales, quæ passiones cohibent, & moderantur.

Secunda Prudentia vocatur *Oeconomica*, cuius manus est, domum & familiam gubernare: & spectat propriè ad eos, quos *Patresfamilias* vocamus: de qua in proximo tractatu diximus. *Tertia* appellatur *Politica*, eorum propria, qui ciuitates gubernant: quales sunt Vicarij, & locum tenentes à Principe constituti. Supra quam est *quarta*, quæ vocatur *Regnatiua*, Regum & Principum propria: ad quos generalis regnorum & prouinciarum gubernatio pertinet. Et hæc adiuuatur à *quinta*, quæ dicitur *Militaris*, & est propria Ducû exercitus gubernantium ad Remp. defendendam ab hostibus, eam deuastare conantibus. Omnes hæc quinque Prudentiæ etiã excellentiori modo pertinet ad Põtifices & Prælatos Ecclesiæ, quæ Regnum est Christi: quam spiritualibus armis defendunt ab hostibus eam continuè impugnantibus. Et præterea militaris suo quodam modo debet reliquas comitari: quia nunquã desunt hostes turbantes pacem ciuitatis, aut familiæ, aut propriæ conscientiæ; ac propterea necesse est, tanquam strenuos duces pugnare, ad illos repellendos.

DENIQUE omnes hæc Prudentiæ talem habent inter se ordinem: vt *prima* sit necessaria ad *secundam*; & hæc ad *terciam*, & sic de reliquis: nam, qui in propriis rebus non est prudens, non poterit in alienis esse; & qui tantam discretionem non habet, vt propriam domum sciat gubernare, non censebitur illam habere, ad gubernandam *Rempubicam*. Est enim Apostoli sententia: *asi quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.*

a. 1. Tim. 3. s.
2.
2. 2. q. 47.
ar. 8.

Consilium.

PROPRII actus Prudentiæ, in singulis prædictis quinque, præcipui sunt tres, quos S. Thomas vocat *Consilium*, *Iudicium*, & *Imperium*: quibus attentissimè inquirat apta media ad finem desideratum obtinendum, de quibus qui prudens est *consultationem* apud seipsum instituit; consulens tamen etiam, quando opus est, aliorû iudicium & consilium. Qua consultatione peracta, accedit *secundus* actus scilicet *Iudicium*: quo ex consultatis accipitur, quod est è re magis: hic enim actu habet se instar Iudicis in sententia ferenda, circa causam controuersam, postquam, quæ partes, & earum aduocati pro eis

addu-

adduxerūt, audiuit. Post Iudicium sequitur *imperium*: quo efficaciter imperatur executio rei decretæ & iudicata. Et hic nobilissimus est maximique momenti actus Prudentiæ, à quo vnus cuiusq; bonum, totiusq; communitatis sibi commissæ, præcipuè dependet. Hoc tamen discrimine, quod in sui ipsius gubernatione post efficac Prudentiæ imperium, sequitur *obedientia* reliquarum potètiarum. Corpus enim, eiusque iensus tanquam serui, absq; resistantia parent rationi iubenti. Nam statim atque ratio iubet, oculos, aut os aperiri: mox ad videndum, & loquendum aperiuntur; quod si claudi iubeat, ne videant aut loquantur, ad nutum obediunt. Appetitus autem *sensuum* cum suis passionibus, etiamsi obtemperent quidem, id tamen faciunt interdum cum repugnantia & resistantia, vt opus sit magna animi virtute, ad eos reprimendos; & efficacitate, ad imperandum. At in *domus, ciuitatis, aut Resp.* gubernatione non statim post imperium Prudentiæ sequitur obedientia subditorum: eò quòd liberi sint, & interdum suis Passionibus, propriæ voluntatis desideriis, propriiq; iudicij dictaminibus sint valdè addicti. Ideoq; opus est, vt prudentia ipsa rationes adinueniat, motiua & media, quibus eis persuadeat, & ad se subiiciendū & obediendū impellat: vt familia, & Resp. illa talis sit, qualis erat nobilis illius centurionis, qui dixit Christo D. N. *bege homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic, vade, & vadit: & alii, veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit.* Nec dubium est, quin horum militum & seruorum obedientiam plurimum iuuerit insignis prudentia & sanctitas sui Ducis, qui benè illos instruxerat: quos non solum rationibus inducebat, sed suo etiam *exemplo*: quia scilicet superiori suo ipse obediēbat; vt eadem ratione inferiores, quos habebat, ipsi obedirent. Et nihilominus euenire facillè potest: vt ipse gubernator probus sit, nec tamē inferiores promptè ipsi obediant. Quare prudentiæ perfectio nō est ex *eventu* negotiorū æstimanda, quæ ab aliena voluntate dependet. Simul enim hæc duo esse possunt: vt gubernator sit prudens, eiusque mandata recta: & tamē euenta sunt infelicia; eò quòd subditorum obedientia non ita sit ad nutum, vt par esset; aut aliqui interueniant; qui obicem aliquem opponant.

AD HÆC: vt Prudentia suos actus in omni gubernationis genere aptè exerceat, varios habet comites sibi assistentes, & adiuuantes: quorum officia variè Philosophi explicant, sed præcipua sunt *septem*. *Memoria* scilicet rerum præteritarum; *intelligentia* præsentium, ab his ad illas ratiocinando; *prouidentia* futurarum, prospiciendo in tempore futuris; *docilitas*, vt facillè ab aliis doceatur, & moneatur: præcipuè verò à sapientioribus, senioribus, magisq; expertis; *solertia* in adinueniendis citò aptis medijs ad finem desideratum obtinendum; *circumspectio* in rebus omnibus, & circumstantiis occurrentibus benè perpendendis, iuxta finem intentum: ac

denique

Imperium.

Potentia
statim obe-
diunt.

Appetitus
sensituum
non sine
lucta.
Subditi non
semper.

Ideo prudē
tia iuuandi.

b Mat. 8. 9
& Exemplo

Exitus, ma-
luis iudex.

2.
S. Tho. 2. 2.
q. 48. & 49.
7. Officia
Prudentiæ.

c Apoc. 4. 6.
c Ezech. 1. 18
Oculis
Retro.
Ante.
Circa.
Intra.

d Zach. 3. 9.
7. Dona S.
Spiritus.

c Prov. 3. 5.

Nec tibi nec
homini sed
Deo fido.

f Psal. 17. 29.

denique *cantela* in praevidendis incommodis, & opportunè auertendis. Hi comites sunt & consiliarij Prudentiæ & oculi, quibus omnia iustrat. Quibus plena erant sancta illa animalia de quibus S. Ioannes & Ezechiel; *quod esset plena oculis, ante; & retro. & in circuitu, & intra.* Oculi *retro*, sunt memoria rerum præteritarum, quarum recordatur, ad faciendâ eis coniecturam circa præsentia, & futura prospicienda, ac propterea senes sunt prudentiores, propter magnam rerum præteritarum experientiam. Oculi *ante*, sunt *prudentia*, respiciens ea, quæ post sunt euenire; & procul olfaciēs bellum; *mediaque* prospiciens, ad victoriam obtinendam. Oculi *in circuitu* sunt *circumspectio* & *cantela*, qua milites eadem res vertitur, & inuertitur: vt tota circumspectiatur; ita vt nihil eius occultetur. Oculi *intra*, sunt ipsa *intelligentia* & *solertia*, aspiciens ac benè cogitans quicquid faciat: & quia nouit, se non posse omnia assequi, accedit *docilitas*, vt alios interroget, & ab eis doceatur: ita oculis alienis vtens, atque si essent proprij. Hi septem Prudentiæ oculi sunt de quibus dixit Zacharias: *d super lapidem unum septem oculi sunt*: ad significandum Christum Dñm nostrum eminenter habere septem has Prudentiæ partes, cum *septem Spiritus sancti dona*: & earum sunt participes viri perfecti, fundantes eas in quadam insigni *fortitudine*, ad exequendum bonum; & fugiendum malum, ad quæ oculi pertingunt & ad resistendum hostibus, illas oppugnantibus: qui tamèn viri perfecti nihil horum possunt, nisi *lapidi illi vni*, qui Christus est, vniantur: lucique & Prudentiæ, ab eo per septem Spiritus sancti dona, ipsis communicatæ, præcipuè & nominatim per *sapientiam, intellectum, scientiam & consilium*. Nostra enim *memoria* fragilis est, & obliuiosa; *intelligentia* & *ratiocinatio* valdè breuis; *prudentia* valde incerta; *circumspectio* & *cantela* valdè limitata: & nisi à Deo foueatur & adiuuetur, nec fidere illi possumus, nec satis cum illa esse tuti.

Hoc voluit Sapiens, cum dixit: *e habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo, & ne inniaris prudentiæ tuæ. In omnibus vis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud te metipsum: time Deum, & recede a malo*: quali vnumquemque hoc modo voluerit monere: etiamsi in Dei seruitio sis valdè antiquus, valdeq; peritus & expertus: non tamen soli tuæ prudentiæ fidas, sed etiam ab aliena auxilium pete. Ne tuæ sapientiæ multum tribuas, sed viue in timore ne decipiaris: ne tutum te esse existima auxilio *hominum*; sed præcipuam fiduciam in ipso Deo colloca: & in omnibus tuis negotiis eum tanquam præsentem aspice, qui te in eis dirigat. Ipse enim Prudentiæ *flucernâ illuminat*, suisque illustrationibus *memoriam* excitat, *intellectum* instruit, *solertiam* extimulat, dirigit *Prudentiam*, ac supplet quod *circumspectioni* deest. Quod si hoc suasisit Salomon cuiuis iusto; etiam cui nullius alterius gubernatio, quam sui ipsius incumberet: quid de eo censeret, cui multorum

aliorum

aliorum incumberet gubernatio: Eò enim difficilior est Prudentia, quò gubernationis sphaera magis extenditur: eritq; maximæ Prudentiæ, quòd quis intelligat, non sufficere prudentiam humanam, nisi foueatur & adiuuetur à Diuina. Benè hoc intellexit ipse Salomon, cum ad regnum promotus, Deus apparuit, dicens: *g postula quod vis, ut dem tibi, & ille cum magna animi demissione respondit: tu Domine regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo, ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum, in occurrentibus negotiis. Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum indicare possit, & discernere inter bonum & malum. h. Da mihi sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum dirigere, qui tam grandis est, indicare, nisi tu illi faueas, ipsumq; adiuues? Placuit ergo sermo hic Salomonis coram Domino, i deditq; ei sapientiam & Prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arena, qua est in litore maris. Quare nec hominum infinita multitudo, nec plurimæ occupationes, aut negotiorum grauitas illum premebant, aut cor eius arctabant: sed cum magna quiete & reuerentia omnia expediebat. Sed multò adhuc amplius idem Rex hoc ipsum declarauit, orationem referens, quam fudit ad Deum; k (inquit) seruus tuus, homo sum infirmus, & exigui temporis, & minor, nec sufficiens ad intellectum iudicii & legum. Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegisti me Regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum. Mitte sapientiam, qua tibi assistit, sedetque tecum in throno tuo, de caelis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tue, ut mecum sit, & mecum laborer: ut sciam, quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & deducet me in operibus meis sobrie. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iuste, & ero dignus sedium patris mei. Hæc fuit piissima sapientissimi huius Regis oratio, in qua petebat à Deo scientiam & Prudentiam ad gubernationem suam necessariam, tribus adhibitis rationibus siue titulis ad illam impetrandam: unum ex parte ipsiusmet Dei: quia ipse est fons sapientiae, elegitque ipsum ad talem gubernationem: ideoque ad ipsum spectat sufficientia talenta dare, qui dedit officium: alterum ex parte propria imbecillitatis & ignorantiae, nisi Deus subsidium mittat: tertium ex parte populi, quæ erat gubernaturus, populum scilicet ipsiusmet Dei, filios & filias eius: pertinet enim proprie ad parentes, aptos Magistros & Pedagogos filiis suis adhibere. Easdem rationes ac titulos possunt in simili oratione adhibere Reges & Principes, gubernatores & iudices, Prælati & Superiores omnes trium Ecclesiæ Rerumpublicarum confidentes de summi gubernatoris liberalitate, quòd facturus sit ipsos diuina: suæ sapientiae, ac Prudentiæ participes, ut nouerint seipsum; & eos omnes, qui ipsorum curæ sint commissi, recte gubernare.*

g 3. Reg. 3-7
Rex indiget
sapientia
à Deo.

h 2. Par. 1.
10.

3. Reg. 4.
29.

k Sap. 9. 5.

Oratio Sa-
lomonis.

1
Ex parte
Dei

2.
Propria in-
firmittatis.

3.
Populi Dei.

Imitentur
aut Reges.